

I Supermen del Paraguay

01 De Americanis aliis alii, per me, scribant, quibus et quidquid visum fuerit. Nil
02 repugnabo. De Paraguariensibus confidenter affirmo, nationes quas vidimus
03 formae concinnitate, corporum proceritate, virium robore, sanitate vivacitateque ut
04 plurimum praestare. Abipones sane corpore pollent lacertoso, robusto, agili et
05 caeli iniuriarum tolerantissimo. Obesum vastaue abdominis mole gravem virum
06 vix usquam reperias. Cotidiana equitatione, venatu, ludicris seriisque certaminibus
07 identidem occupati, raro pinguescunt, quia – simiorum more – semper inquieti
08 sunt. Optimo humorum temperamento fidaque idcirco valetudine gaudent, quam
09 Europaeorum plurimi inviderent. Pleraque morborum genera, quae Europam seu
10 cruciant seu exhauriunt, ne de nomine quidem norunt. Caput nudum soli aestuanti
11 obiciunt diebus integris, quin tamen de capitis molestia conquerentem ullum
12 audias. Iurares illos sensus expertes, ex aere vel marmore conflatos, cum tamen
13 vel ista solis aestu incalescant. Siti per aridas solitudines diu ardentes, aquas
14 palustres salsas, lutulentas, putres, amaras, quasquas demum deprehenderint,
15 plenis hauriunt faucibus. Carnem bubulam, cervinam, tigrinam, duram, semiassam
16 variaque arborum poma immatura liberaliter in se ingurgitant, neque tamen stoma-
17 chi languorem aut alvi difficultates sentiunt. Sub caelo saepe pluvio, sub aëre per-
18 frigido vivunt, vastaue flumina nando transmittunt, citra viscerum perturbatio-
19 nem quae Europaeis natantibus molesta saepe, saepe periculosa est. Ehippibus duro
20 e corio consutis insidunt, producto in multas hebdomades itinere, quin tamen
21 usque sessitando vel extimam cuticulam offendant. Post equitationem tamen horis
22 pluribus non interruptam, nullum corporis exagitati fatigatique indicium in ullo
23 horum observabis.

